

Act. 9.

aliquantulum deuenustare, ac aliquali doloris vulnere afficere. Ex Domini mandato tendit Ananias in domum Iude, vt manus super Saulum imponat; & ingressus ait illi: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via. Act. 9. n. 17. Non dixit Ananias, Dominus Iesus, quem tu es persecutus, vel qui te prostravit in via, vel obcaecauit, sed qui tibi apparuit. Audiuit Ananias a Domino, Vade, quoniam vas electionis est tibi. Cum ergo agnosceret eum a Domino electum, obcaecationis, ac deiectionis pratermittit verba, ne illorum memoria eum acerbe contristaret, ac aequaliter deuenustate videretur; sed ea, quae honoris, ac nobilitatis erant, exprimit. Qui tibi apparuit. Oecumenius. Dominus misit me, qui apparuit tibi; non dixit, ait, qui te excacauit, improprium declinans; sed qui apparuit tibi.

188.

Ad questionem. Censuram infcientis Petro non adscribit Matth. sed Marcus, nesciebat quid diceret; & D. Lucas; nesciens quid diceret. Cur autem hanc notam illi impingat Marcus, desumi potest ratio ex Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 5. Euangelium. ait, quod Marcus edidit, Petri affirmatur, cuius interpretes Marcus. Cum Petrus fuerit auctor Euangelij quod Marci appellatur; Marcus autem tantum interpretes exriterit: non tam Marcum Petro, quam Petrum sibi ipsi censuram imponere, existimatur, vt ita suam patefaceret ignorantiam, quam Matthaeus abscondebat.

189.

Secundo. Cur D. Marcus, ac Lucas nescientis Petri censuram scribant, cum solus D. Matthaeus illam pratermittat? Cuius rei ratio ea mihi videtur esse. Cum D. Matthaeus existeret vnus ex nouem Apostolis, qui relictis sunt ad pedem montis, abstinent, vt defectum Petri, qui ei praelatus est propagaret. Vt fiat euidens, quantum distat Apostolicum ingenium a conditione huius seculi hominum, qui maxime toto pectore incumbunt, vt culpas eorum, qui eis sunt antepositi, euulgent, & dictitent: solent enim frequenter habere in ore: Cogitate, qualisnam mihi praepositus est homo nescius, & suo emolumento deditus. Si ego ad talem dignitatem esse assumptus, nunquam talia perpetrarem. Et si ipsi, qui haec dicunt, ad illum honorem eueherentur, absque dubio in multo grauiora, ac deteriora inciderent crimina.

Iustus non dedecorat eos, qui sibi sunt antepositi.

190.

1. Reg. 18.

Percussio Philisthaeo, per choros praecinebant mulieres dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem milia. Iratus est Saul, & displicuit in oculis eius sermo iste. 1. Reg. 18. n. 7. Indequ passim per contumeliam eum filium Isai vocabat. 1. Reg. 20. n. 30. Cum maxime doleret Saul, quod Dauid ei esset antepositus, ad nihil aliud respiciebat, nec aliquid aliud habebat in ore, nisi quod Dauid contumeliosum, ac ignominiosum reputabat; indeque per opprobrium eum filium Isai hominis Bethlehemitis dictabat. At quam aliter Samuel iustus, & sanctus! cum enim ei a populo Saul esset praelatus, maxime illius crimina, ac vitia deplorabat, ita vt ei a Deo esset dictum: Vsq; quo tu luges Saul? 1. Reg. 16. n. 1. Sic & D. Matthaeus censuram Petri silentio premit, ne aliquis putet, ab eo exprimi, quia in montem ascendens ei est antepositus. Hanc nescientis notam Marcus, & Lucas referant, qui, cum essent Discipuli, cum Apostolorum choro ad radicem montis non remanserunt.

1. Reg. 16.

Matth. 17. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; & ecce vox de nube

dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.

VERSIONES.

Syriacus. Ecce nubes lucida operuit eos. Et vox facta est de nube dicens: Hic est filius meus dilectissimus.

Faustus Presb. Nubes lucida inumbravit eos.

Tert. aduersus In quo bene sensi.

Prax. c. 23.

Vatablus. In quo mihi bene complacitum est.

Arius. In quo bene acquieui.

ALTER TEXTVS.

Marci 9. n. 6. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube dicens: Hic est filius meus charissimus; audite illum.

Luca 9. n. 34. Haec autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube dicens: Hic est filius meus dilectus; ipsum audite.

EXPOSITIO V.

RECTE inquit D. Hieronymus, & S. Thom. in cap. 17. Matth. Quia Petrus insipienter loquebatur, faciamus hic tria tabernacula; idem indignus fuit Domini responsione.

Adhuc eo loquente. Expende vim illius aduerbij Adhuc, cum nempe Petrus loqueretur. Sic explicat D. Ambrosius in cap. 9. Luc. Inter haec verba facta est nubes. Ecce rem grandem, & mirabilem denotat, nubes lucida obumbravit eos; nubes tanquam Dei sedes agentis cum hominibus; lucida, quia non erat ad terrendum, vt fuerat olim, vt in monte Sinai, vt notarunt Chrysostronus, & alij.

Obumbravit eos, omnes, qui praesentes aderant, scilicet Iesum, Moysen, & Eliam, & tres Discipulos. Nam haec nubes, vt ait Chrysostronus, erat valde lata, & profunda, ab ipso caelo ad terram vsque diffusa. Haec autem nubes circa Moysen, & Eliam sese condensauit, ac conglomerauit, vt eos ab oculis Discipulorum subdukerit, & abdukerit, vt explicant Euthymius, Lucas Burgensis; nam, vt ait D. Lucas, factum est, cum discederent ab illo, cum scilicet Moyses, & Elias ab eo pararent discessum: vnde Arabicus vertit, Cum vellent discedere ab eo. Locutus est Petrus, Bonum est nos hic esse, &c. quo loquente eos inxit nubes, & ab oculis Discipulorum abstulit Moysen, & Eliam. D. Lucas ait, Et timuerunt intrantibus illis in nubem. Id est, cum Iesus, Moyses & Elias intrarent in nubem, timuerunt Discipuli tanquam rem nouam, mirabilem, ac diuinam. Huius vero timoris causam explicabo infra q. 18.

Et ecce; semper in his, quae a Deo fiunt magnis magna, mirabilibus mirabilia succedunt; Vox de nube,

191. Hieronym. D. Thom.

Ambros.

Chrysostr.

192.

Chrysostr.

Euthym. Burgens. Lucas. Arabic.

Lucas.

1. Petri 1.

nube, vox, inquam maiestatis plena, quae efformata est in superiori parte nubis. Sic dicitur 1. Petri 1. n. 8. quod vox fuerit a Deo Patre elapsa de caelo. Et quamuis vox, quoad efficientiam, fuerit a tota Trinitate; tamen quoad attributionem, & significationem refertur Deo Patri, cum solius Patris sit habere filium. Hic, pronomen est demonstrans Christi personam, filius meus. Cum dicitur per demonstrationem, ac singulariter filius, vt distinctus ab alijs, intelligitur filius naturalis, non vero adoptiuus; nam Moyses, & Elias, & tres Apostoli, qui aderant, per adoptionem filij erant. Dilectus, Syriac. dilectissimus, D. Marcus, charissimus, D. Chrysostr. vt homil. 57. in Matth. Triplex est dilectio Patris erga filium; Quia filius, quia singulariter dilectus, quia in ipso bene complacuit. D. Thomas sic inquit. Tangitur Christi dignitas ex proprietate filiationis, ex perfectione dilectionis, ex conformitate operationis. Et dicitur filius dilectus, non solum vt Deus, cuius vna est voluntas, vnusque amor cum Patre; sed etiam vt homo, cuius voluntas obediens, ac conformis est Patri.

Syriac. Marc. Chrysostr.

D. Thomas.

194.

Chrysostr. Euthym. Damasc. Remig. Toler.

Ioan. 8.

In quo mihi bene complacui, qui mihi singulariter placet, in quo nihil mihi displicet, sed omnia summe, & perfecte placent. Vel explicant D. Chrysostr. & Euthymius, in quo ego acquiesco, ac summe oblector, & delector. Seu, vt interpretantur D. Damascen. Orat. de Transfig. D. Remigius, Toletus in cap. 9. Luc. annot. 31. In quo mihi bene complacui, id est, in quo perficiendum est beneplacitum meum, & per quod decreui, salutem hominum operari. Ipsum audite, vt vniuersalem doctorem, atque magistrum. Audire autem hic non simplicem audium significat, sed audire credendo, & obediendo. Quam significationem habet apud Ioan. 8. n. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit.

QUESTIO XXIII.

Quare in Transfiguratione apparuit nubes?

195. Tertull. Vnde nubes facta.

Ue nubes, vt ait Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. facta est a Deo per ministerium Angeli ex conglomeratione aeris, ac vaporum illic existentium. Ipsaque, vt dixi in expositione, suscepit Iesum, Moysen, & Eliam, ac tres Apostolos, vt ipsi suo tempore certum testimonium redderent ceteris Apostolis, ac fidelibus, eorum, quae in nube gerebantur circa Christum, & praecipue vocis elapsa a Patre. Hic est filius meus. Cur autem haec nubes hic interuenit, haec praesens quaestio indagat.

106. Chrysostr.

Respondet primo D. Chrysostr. homil. 57. Quamobrem ex nube? sic fere semper Deus videtur. Vt ita Discipuli certi redderentur de Dei praesentia, vtque intelligerent, factam vocem esse ex Deo: frequenter enim Deus in nube apparere, & audit solebat. Nubes, & caligo in circuitu eius. Psalm. 96. n. 2. Qui ponis nubem ascensum tuum. Psalm. 103. n. 3.

197. Druthmarus.

Secundo Druthmarus. Quia vltimissimum, inquit, erat genus locutionis Dei per nubem ad electos suos, vt ad Iacob, & ad ipsum Moysen: quia per nubem designatione lenem blandimentum. Cum hac coincidit ratio, quam Abulenlis quaest. 75. existimat praecipuam. Ad hoc, ait, nubes facta est, vt in ea efficeretur vox & organa, quibus vox ipsa formabatur; vtque ille, qui loquebatur, sub occulta nubis condensatione remaneret. Sic enim fiebat in veteri Testamento: nam quandoque Deus Moysi, ac alijs etiam publice semper de nube loquebatur.

Exod. 46. 20. & 33.

Sylueira in Euang. Tom. I V.

Exod. 16. n. 10. & 20. n. 21. & 33. n. 9. & 40. num. 32. Deuter. 4. num. 11. & saepe alibi. Antiquum ergo morem, quo Deus suam gloriam manifestabat, ac loquebatur, in praesenti Aeternus Pater, ac filius eius Christus Dominus retinent, & ab eo minime recedunt, vt ex actionum conformitate idem Deus in vtroque Testamento ostendatur.

Deuter. 4. Antiqua consuetudo totius mundi.

Tertio D. Hieronymus. Nubes lucida obumbrat eos, ait, vt qui carnale e frondibus, aut temeris quarebant tabernaculum, nubis lucida operantur umbraculo. Theophylactus. Tu quidem, inquit, o Petre, tabernacula quaris mansueta, vt fiant: Pater autem aliud tabernaculum, non mansuetum, nubem constituit. Deus plura concedit, quam nos ab eo petimus. Petrus suggesserat, Domine faciamus hic tria tabernacula; quae construenda erant ex lignis, seu frondibus. At Dominus parat umbracula, non ex illa materia, sed ex alia excellentiore, nempe ex nube lucida, & praecleara.

198. Hieron.

Theophyl.

Deus maiora concedit, quam ab eo petimus.

Quarto Beda. Quia vero Petrus, ait, materiale quesiuit tabernaculum; vt discat, in resurrectione non tegmine domorum, sed Spiritus sancti gloria eos esse protegendum, sequitur, quod facta est nubes obumbrans eos. Vt discat Petrus, quod in Beatitudine non sunt necessaria tabernacula; gloria enim opetit Sanctos. Quinto, Idem Beda, & facit combinationem cum Baptismo Iordanis, in quo visus est Spiritus sanctus: Vnde Spiritum Dei descendente sicut columbam, & venientem super se. Matth. 3. num. 16. In Transfiguratione nubes lucida se exhibet. Tunc ipse Beda. Hic Spiritus sanctus in nube lucida; illic in columba: quia qui nunc simplici corde fidem seruat, tunc aperta luce contemplabitur, quod crediderat. Lux ponitur pro fidei mercede: qui columba simplicitate, ac sinceritate fidei mysteria credit, luce aperta, ac manifesta, ipsa mysteria contemplabitur, ac intuebitur.

199. Beda.

Beda.

Marth. 3. Quia fide credidimus, luce manifesta contemplabimur.

Sexto. Abulenlis citat q. 75. Venit nubes ad occultandam cessationem claritatis Christi: sicut enim Christus noluit, quod Discipuli viderent, quando ipse incepit transfigurari, sumendo fulgorem; tunc enim immisit in eos soporem, vt ait Lucas 9. n. 32. & tunc quando postea euigilarunt, eum transfiguratum viderunt: ita & quando deposuit radios, redacendo se in pristinum statu: occultauit se, & illos in nube, vt non viderent, quod fiebat. De quo latius infra. Septimo, Toler. in cap. 9. Luc. ad haec verba: facta est nubes: in Comment. & annot. 73. ait quod nubes in Transfiguratione interuenit, vt significetur, Christum eundem esse, quem Deus olim, sub nube loquens, promisit, dans Legem in monte: Propheiam suscitate eis de medio fratrum. Exod. 20. num. 21. Deuter. 18. num. 15. Vt fiat euidens infallibilis veritas diuina, eundem modum obseruare Deus in promissis praestandis, ac adimplendis. Hoc latius explicabitur quaest. 29.

200. Abulen.

Luc. 9.

Tolet.

Exod. 20. Deuter. 18. Infallibilis diuina veritas in promissis.

Octauo. Origen homil. 3. Matth. Nubes lucida, ait, obumbrat sanctos, ex qua venit vox Patris, dans testimonium filio, quasi dilecto, & exhortans eos, qui obumbratur ab eo, ipsi, non alij, obedire. Dicebat Petrus Christo Iesu, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnium, Moysen, Eliam, & vnium; attendebatque simul ad Christi, Moysi, & Eliam maiestatem, eique obiectur nubes de caelo, vt ab ipsa nube discat, Soli vni Deo attendere, ipsique soli placere: hoc enim nubes perpetuo suo cursu, ordine protestatur, non hominibus, sed Deo auscultandum esse.

201. Origen.

Deo, non hominibus attendendum, ac obediendum.

Baruch. 6. num. 61. Nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare vniuersum Orbem,

202. Baruch. 6.

Nubes Dei
nisi, & non
hominibus se
conformant.

203.

Genes. 30.

Genes. 31.

Vbi est Dei
vox, homini-
bus non est
attendendum
Chrylost.

perfectiunt, quod imperatum est eis. Perfecte obsequentis Deo imaginem exprimunt nubes: non hominis, seu terrae desiderium, sed tantum Dei nutum expectant; cui maxime se conformare intendunt, cum huc, atque illuc discurrunt, & ad cuius voluntatem se totas impendunt, & superexpendant, usque adeo ut semetipsas consumant, & pereant.

Dupliciter venit in animum Iacob, recedere a domo Laban, & pergere in terram suam Chanaan. Primò, nato Ioseph, dixit Laban: *Dimitte me, ut revertar in patriam, & ad terram meam.* Genes. 30. n. 25. Secundò verò iam multis elapsis annis, omnino occulte à domo illa proficiscitur: *Noluit itaque Iacob confiteri socero suo, quod suggerent.* Gen. 31. n. 21. Sed cur prima vice rem tractat, ac agit cum socero; secunda autem minime? Primò ex se, ac ex animo suo Iacob disposuit, se conferre in patriam suam; & idè ei visum est, non esse decens, ut Laban inscio discederet; at verò posterius urgebat Dei mandatum: *Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tue.* Cum autem Dei iussum instaret, nil aliud fuit expectandum, ac considerandum, sed prætermisiss omnibus, Dei imperata adimplenda. D. Chrylost. homil. 57. *Non ultra, ait, sicut prius interrogare eum voluit: sed quod imperatum erat à Domino, implevit.*

QUESTIO XXIV.

Quare nubes, cum esset lucida, obumbrabat eos?

204.
Chrylost.

RESPONDET primò ad quæstionem D. Chrylost. homil. 10. in Marc. *O Petre, inquit, quid vis tria facere tabernacula, respice unum tabernaculum Spiritus sancti, qui nos pariter protegit. Si fecisses tabernacula, utique fecisses humana, que lucem excluderent, & umbram includerent. Nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est unum tabernaculum, non excludit solem iustitiæ, sed includit.* Postulauerat Petrus dicens: *faciamus hic tria tabernacula, in quibus disinctum Iesus, Moyses, & Elias habitarent.* Cum ille hæc proferret, *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.* Tunc Deus dat nubem, tanquam unum tabernaculum, omnes in se recipientem, ac suscipientem. Nubes ergo, quæ trium tabernaculorum diuisionem excludit, eorum que memoriam abradit, lucida, & obumbrans nuncupatur: obumbrans, cum suscipit; lucida, cum diuisionem tollit. Semota diuisione, cum vnitas viget, tunc lucis radij maxime fulgent, & nitent. *Nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est unum tabernaculum, non excludit solem iustitiæ, sed includit.* Cum enim nubes vnus constituit tabernaculum, à quo solem iustitiæ cum Moysè, & Elia non excludit, sed includit; tunc nubes lucida.

Vnitas cum
flore, tunc
omnia fulgēt.

205.
Damascenus.

Protezione
Diuini Spiritus
omnia nitent.

Secundò. D. Damasc. Orat. de Transfig. *Nubes autem, ait, obumbravit, Spiritus nimirum fulgorem depingens. Omnia autem lucida, atq. eximio quodam, ac singulari splendore prædita vis, qui lucis capaces sunt: quorumq. animus conscientis spurcitie hand quam inquinatus est. Enigma est, quod nubes esset lucida, & obumbrans. In nube hac Diuini Spiritus virtus exprimebatur; & quem Diuini Spiritus virtus obumbrat, ac protegit, quandam communicans munditiam, omnia ei lucida, ac splendentia contingunt: *Nubes obumbravit, Spiritus nimirum fulgorem depingens.**

Tertio Ingeniosè Hugo Cardinalis. *Nubes lucida obumbravit eos. Ex luciditate obumbrantur.* Ipsa enim nubes luciditate sua obumbrat: Nubes illa terrenis condensata vaporibus erat, & fumantium nebuloso montium humore conglomerata; Thaboris gloriam, cum esset lucida, obumbrabat; tanquam sit agnata, & cognata affectio lucidioris luminis, lucendo obumbrare, ut magis luceat. Nescit autem nitescere mundialis lux, nisi alios obscurando. Quam verò diuersum sit diuinum ingenium, perpende. *Transfiguratur Iesus, ut suæ Diuinitatis specimen præbeat, Resplenduit facies eius ut Sol, & vestimenta eius sicut nix. Quid tunc? Ut scribit Lucas, Apparuerunt Moyses, & Elias visi in maiestate, seu, ut legit Syriacus, in gloria.* Si Christus erat in gloria, quomodo etiam coram eo in gloria, ac maiestate se exhibent Moyses, & Elias? Atgute Zenò Veronenis serm. de natiuit. Mariæ. *Christus totum suæ luce resplendens corpus sine umbra gestabat.* Christi Diuinitatem testificant radij, non solum proprij in facie, sed & alieni Moyses, & Elia. *Christus corpus sine umbra gestabat.* Proprio splendore nitescere, sine alicuius obtenebratione, sinque detrimento, ac diminutione alterius lucis proprius est Diuinitatis caracter, percommodaque diuinæ generationis laus; non vero humana perpensio, ac conditio. Solus enim Christus sine alicuius damno maior, sine alicuius obscuritate lucidus. Eius enim nobilitas non alieno nitetur dedecore, eiusque gloria non fundebatur aliena infamia, nec eius splendor aliena obtenebratione fulgebat: hoc enim vulgariū hominum est ingenium.

206.
Hugo.

Terrena lux
nitet alios
obscurando.

Syriacus.

Zeno.

Diuinitatis
caracter, sine
alterius obtenebratione
lucere.

207.

Drogo.

Christus in
Eucharistia
sub speciebus
nube iustitiæ
lucida.

Quarto. De Christo sub Sacramentalibus speciebus in mysterio altaris moralizat hunc locum Drogo Hostiensis serm. de Sacramento Dominice Passionis. *Quoniam Moyses, & Elias, ait, tecum apparuerunt in monte, sed nubes obumbravit eos: illis sicut amicis, & domesticis (inò domesticorum, & amicorum tuorum precipuis) Sacramenti tui nubes erat perlucida, que nobis iacentibus, & proiectis à facie oculorum tuorum, valde subobscura est.* Cum Christus adesset in monte cum Moysè, & Elia, venit nubes lucida obumbrans eos. Nubes illa species Sacramentales, Christum in Eucharistico mysterio occultantes, repræsentabat: quæ specierum nubes iustis, ac amicis, ut Moysi, & Elia est valde perlucida, & fulgida; Christum enim ibi oculi viæ fidei, ac celestibus inspirationibus agnoscunt, & introspiciunt; quæ specierum nubes valde densissima est proiectis in peccato, cum ab ipsa caelestium recreatione multum distent. *Que, proiectis à facie oculorum tuorum valde subobscura est.*

208.

Qui proprias
commoditates
intendit, in
sua maiestate
obscuratur.

Quinto. *Nubes lucida obumbravit eos.* Lucida, & obumbrans, ac obscurans? valde mirum. Affectabat Petrus, ut ipse cum aliis in gloria alto illo in vertice persisteret, remanentibus cæteris in montis radice: & quisquis in suo fulgore, ac nitore proprias tantum commoditates intendit, in ipsomet suo splendore, ac radiis obfuscationem, ac obtenebrationem inuenit, atque reportat.

209.

Sextò. Maxime notandum, quod nubes tunc dicitur lucida, quando in eos umbram diffundit. *Ecce nubes lucida obumbravit eos.* At verò, quando vox Patris à nube prodit, nubes tantum, absque lucidi additamento, astruitur. *Et ecce vox de nube dicens, Hic est filius, &c.* Sed quare nubes lucida, quando eos abscondit; non verò, quado ab illa vox Æterni Patris resonat? Perpende textum. *Adhuc eo loquente, scil. Petro, ecce nubes lucida obumbravit eos.* Quid

Luc.
Aliorum de-
fectus recon-
dere, præcellit
quodcumque
caeleste mu-
nus.

110.

Matth. 17.

Matth. 2.

August.

Aliorum de-
fectus recon-
dere, prohibita-
toni declarat.

August.

Quid loquebatur Petrus? Ignorantias sanè; de illo ait D. Lucas, *nesciens quid diceret.* Licet ergo valde perillustus esset nubes, cum de illa Æterni Patris vox intonat; tamen tunc non publicatur lucida, sed quando ignorantias Petri obuelat, & occultat; tanquam si ab alterius vitij occultatione ipsa nubes super modum fulgeat, & luceat, quam à quocumque alio munere etiam diuino. Ut hoc morale commentarium nostra sit instructio, quam nobile, ac excellens, quam Deo gratum, & acceptabile sit, caliginare, ac condensò velamine aliorum defectus recondere.

Acerto animi congressu luctabatur sanctus Ioseph, cum videret prægnantem sacratissimam Virginem, cuius ingeniosus non nouerat causam, & aliunde criminis indicia turgebant: tamen ipse, scribit D. Matthæus cap. 1. n. 18. *Ioseph autem, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Postea verò cum agnouisset mysterium, Æterno Verbo ex Virginis utero nato, illius necem machinabatur Herodes. Tunc apparuit Angelus Domini Ioseph in somnis dicens: *Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Matth. 2. n. 13. Et tamen in hoc secundo euentu non commemoratur iustus, sicut de eo in primo est enarratum, cum tunc potius videatur iustus dicendus, quando illius custodia, ac solertia Æterni Verbum Incarnatum, eiusque purissima Mater committebantur. Considera mysterium. Ait Euangelista: *Ioseph vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere; seu, ut legit D. Augustinus serm. 16. de verbis Domini, & nollet eam diuulgare.* Subditur: *Voluit occultè dimittere eam.* Cum sui honoris perplexa cogitatione, huc atque illuc iactatus esset, elegit potius frivissimum de glurie dolorem, quam illud in publicum cum aliquali iactura famæ suæ sanctissimæ coniugis euomere. Ex alto afflatu tunc potius ab Euangelista iustus nominatur, quam dum Æterni Patris filij cultos, ac nutritius constituitur, illiusque suscipit curam, ut ipsum cum Matre in Ægyptum deferat: ac illius iustitia, & virtus perlucidius nitesceret, cum alterius supprimebat crimen, nec de eo leuiter munitate disponebat, quam dum ad alta negotia Æterni Incarnati Verbi fidus assumebatur minister. Tam magnus probitatis index, est alterius delictum non prodere, sed abscondere, ut in præfati Ioseph facto expergit D. Augustinus citato serm. 16.

Restabat itaque, ait, certa adulterij suspicio; & tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat. Quid de illo ait Euangelium? Ioseph autem cum esset vir iustus, & nollet eam diuulgare: mariti dolor non vindictam quaesuit. Voluit prodere peccanti, non punire peccantem. Cum nollet eam diuulgare, voluit eam occultè dimittere.

QUESTIO XXV.

Quare in gloria Thaboris Christus à Patre filius proclamatur?

111.

Genes. 22.
Æterna ge-
neratio pro-
fundam my-
sterium.

NOTA in hoc mysterio diuina Trinitas apparuit. Pater intonat in voce, & non, sicut olim, Angelus loquens, se Abrabamo exhibet Genes. 22. num. 12. sed ipse Pater hic adest testificans: tanta enim est æterna generationis profunditas, tantumque superat creatam intelligentiam, ut nullæ creaturæ committatur; sed solam Æternus Pater Sylheira in Euang. Tom. IV.

illius sit declamator. D. Chrysológus serm. 118. *Ipsè sui testis filij, ipse assertor assistit: Hic est filius meus dilectus: quia alterum, qui testimonium diceret, non habebat: testem generatio nescit diuina, ipso filio dicente: nemo nouit filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi filius.* Hic filius resplendet in gloria. Spiritus apparet in nube. Per nubem Spiritus sanctus adumbratur, quia ipse, ut nubes fulgida, hominem illuminat, tegit, obumbrat, & fecundat ad omne opus bonum. Ita D. Ambrosius in cap. 9. Luc. Origenes, Beda, D. Thomas in Matth. Hinc in Baptismo Christi Spiritus sanctus apparuit in columbæ specie; quia in Baptismo dat innocentiam nobis. In Transfiguratione autem, quæ est typus resurrectionis apparuit in specie nubis, quia tunc dedit, dabatq. ab omnibus malis securitatem.

Chrysológus.

Cur Spiritus
sanctus in
nube.

Ambros.
Origenes.
Beda.
D. Thom.

112.

Difficultas
quæstionis.
Matth. 16.

113.

Chrysológus.
Euthym.

Præfens quæstio inquit: *Cur Pater inter Thaboris glorias Christum filium suum esse proclamat, ac testificat; cum hoc iam esset notum Discipulis; tum ex ipsa Transfigurationis maiestate; tum etiam ex testimonio Moyses, & Elia, itémque ex confessione Petri: Tu es Christus filius Dei vni.* Matth. 16. num. 16. Pro hac re vide varia dubia, quæ in simili voce, prolata in Iordane, resoluti tom. 1. lib. 3. cap. 2. q. 23. 24. 25. 26. 27. & 28. Ad quæstionem respondent Primò D. Chrysológus. homil. 57. in Matth. Euthymius; Hanc vocem fuisse prolata à Patre, præcipuè propter Petrum ad excludendum eius timorem: nam Chisto timens prætendebat eius mortem impedire. Ac si diceret Æternus Pater, ô Petre, quid times mortem Christi; agnosce ipsum esse Omnipotentem; & esto certus de resurrectione eius, cum filius meus sit. Tamen iam superiori q. 19. hanc sententiam de timore non probaui ob rationes ibi dictas.

114.

Abulens.
Matth. 16.

Secundò, & ad litteram. Abulensis q. 83. & 84. Quod hæc vox emissã est ab Æterno Patre ad confirmandum Discipulos in his, quæ Christus dixerat Matth. 16. n. 27. *Filius quidem hominis venturus est in gloria Patris sui: & tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Ad comprobendam confessionem Petri eodem cap. antecedenti: *Tu es Christus filius Dei vni:* nam quamuis esset valde sufficienter Christi testimonio, Petrique asseueratione verificata, ac ostensa; tamen quia, ut ait citatus Abulensis, poterat esse dubitabile, quod Christus, qui in infirmitate nostræ carnis apparebat, tantus Dei filius naturalis esset, tantaq. ac tam magna posset præstare; idè maxime conueniens fuit quod iterum fieret alia ostensio huius rei ad maiorem confirmationem, ac corroborationem: sicut Christus faciebat multa miracula eiusdem rationis ad maiorem confirmationem; cum tamen primum sufficienter. Sicut etiam duo dantur somnia Pharaoni idem significantia, scilicet de septem vaccis, & septem spicis; ut dixit Ioseph: *Quod autem vidisti secundo, ad eandem rem pertinens somnium firmitatis indicium est.* Genes. 41. n. 32. Conuenienter venit vox Patris: *Hic est filius meus dilectus:* ad maiorem firmitatem sententiæ Petri, ac eloquij Christi: *filius hominis venturus est, &c.* Multa declaratio potestatis exigitur in magna, & alta pollicente, ad amplas eius promissiones acceptandas, ac credendas.

Potestas ne-
cessaria in
promittente.

Genes. 41.

Tertio. Ut docet D. Leo. serm. de Transfig. *In qua Transfiguratione, ait, illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus Discipulorum scandalum crucis tolleretur: ne conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas passionis, quibus reuelata esset abscondita excellentia dignitatis.* Ut Æternus Pater Discipulos

115.

Leo.